



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Conueniunt Sacerdotes complures non finè graui periculo. n. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

retur. Domum amplam conducunt Baronis Pagetti nomine. Hic primam I 380.
 (Sancti Petro & Paulo dicato die) habuit concionem, de Ecclesiæ Catholicæ
 inconcussa firmitate, de contra sævientibus ne quicquam portis inferi, de con-
 stanti in proficenda fide libertate: Hic cætera Sacerdotum munia eo diligen-
 tius obit, quo illustrium Iuuenum, eorumque gratiâ, frequentium auditorum,
 non assiduitate modo, sed penè importunitate prouocabatur: Assueta mens
 neque pietate vinci, neque nimium quidquam existimare quod in Dei obse-
 quium impenderetur, non sibi temperandum arbitrabatur, dum flagrantibus
 piorum hominum votis vocibusque inflammaretur: exercitatum armis tra-
 ctandis veteranumque militem, paribus animis viribusque cum Tyronibus cer-
 tare indecorum enim uero & humile: Contendendum itaque rebatur omni-
 bus animi corporisque neruis, ut quos ætate, scientiâ, exercitatione anteiret,
 hos diligentiam atque ardore superaret. At dum Sacramenta quotidie celebra-
 tur, dum concurritur, peroraturque quotidie, latere id non potuit Senatuum
 regium quod tota iam urbe peruulgatum ferebatur; & quanquam locus at-
 ignorabatur, aut priuilegio atque auctoritate nobilis conductoris aliquantisper
 sustineri potuisset, diuturnum tamen id sperare futurum inter suspicaces
 & attentos oculos imprudentis esse non omnino imprudentibus videbatur.
 Redux Londinum *Personius* maturè obuandam discrimini censuit; & fre-
 quentiam quidem primùm moderari, tum quoniam id erat difficile,
 quamdiu in urbe esset is qui ad se omnium voluntates, desideriaque attraxisset
Campianus, huic profectionem indicere statuit. Sed aliud ex alio periculum
 nascitur.

V. Ex recenter Romæ Rhemisque constitutis Seminariis noui non pauci
 Sacerdotes collanti pietati restituendæ in Angliam confluxerant: Hi præ-
 cipuis Europæ consuetudinibus imbuti animaduenterant plures totâ Insulâ fe-
 stos dies, plura solita olim coli ieiunia quàm toto ferè reliquo orbe Christiano:
 Ne quod igitur vel inter Catholicos, vel ab his qui à *Maria* Regina temporibus
 supererant antiquis Sacerdotibus, oriretur dissidium, dum hi veterem
 morem teneri, illi cæteris Regionibus conformari contenderent, dies consilio
 dicitur conueniunt ex Clero complures; adest *Personius* & *Campianus*; decer-
 nitur, ut quam in Prouinciam quisque primùm venisset, de eius moribus di-
 ligenter inquirat, eumque morem nulla re mutata, conferuet (neque enim
 omnibus per Angliam idem mos est) quando autem nemo vnus in
 omnes potestatem habet, difficile est cunctos adstringere, nisi vniuersi
 conueniant. Disputatur etiam de sacris Hæreticorum: An cum ad vni-
 formitatem cultus diuini latâ lege iubeantur frequentari, liceat ijs qua-
 cunque alia de causâ interesse? valuitque negantium sententia; eâ inter
 cæteras ratione, quâ non solum aduersus Catholicum morem, eique dam-
 nando abolendoque instituta sunt hæc nupera sacra, sed & publica legis
 mens, atque ferentis voluntas (quæ præsentiam interpretatur conformitatem)
 priuatis quibuscunq; rationibus antecedit necesse sit, & vulgò cèlebratur immisceri

Conueniunt
Sacerdotes
complures
consulturi.

De festis &
ieiunijs.

De non ad-
deundis sa-
cris hære-
ticorum.

I
Ista

1580.

Ista cunctis commendatur Catholicorum animis inferenda; quod etiam se ab errore & Schismate, (quod illâ conformitate exerceretur, & sensim serperet latius) tueantur; etsi enim pauci fortassis aliqui sat fortes futuri essent ad frequentiam de superiori loco corrupti verbi ministrorum tela sustinenda, vulgus tamen facile cederet cum immunitate à multis, morum licentiâ, & specie quadam simulata veritatis tentaretur. Et verò ea sententia robur pridem obtinuerat Patrum in Concilio Tridenti Congregatorum frequenti suffragio; Cui accessit deinde *Toleti* Cardinalis hæc assertio. "Cum tale Edictum sit contra Ecclesiam Catholicam, & in hæretici erroris fauorem, confirmationem, & protestationem quandam, non est ei vlla ratione obediendum Interesse enim hæreticorum conciliabulis, & eorum Ecclesias indistinctè tanquam vnus eorum frequentare, non solum est veram fidem & Religionem occultare, sed falsam sectam cultu quodam exteriori ad id ordinato profiteri, quod iure diuino prohibetur, nec vlla dispensatione licitum esse, nec vlla temporarium bonorum amissione iustificari potest. Protestatio autem illa, quæ à nonnullis Catholicis fit, à peccato non excusat, cum sit contraria facto; factum enim, si tale est, vt describitur, nempe, hæreticorum Ecclesias frequentare, & eorum conciliabulis in quibus de Religione agitur tanquam vnus illorum interesse, protestatio quædam est exterior sectæ eorumdem, & in hunc finem tale edictum sancitum est. Hæc *Toletus* his diebus rogatus respondit, & postliminio literis suis confirmauit *Paulus Quintus* Pontifex Maximus; vt libro octauo narrabitur. Exemplum vero sententiæ Patrum Concilij Tridentini huc etiam transferendum duxi, nō ad nudam memoriam, sed ad antiquorum Catholicorum commendandam aduersus diuinum obsequium sinceram mentem, cæterorum in recta quam hætenus incesserunt via confirmationem; quos omnes Reuerendissimi Patres ad hoc ipsum ex toto numero selecti his verbis consalutant,

Toletus 14.
Iouij An.
1581.

VI Pax Christi quæ exsuperat omnem sensum custodiat corda vestra & intelligentias vestras. Amen.

Viri dignitate conspicui, Religione & multis nominibus illustres, æquam atq; honestam postulationem vestram ad nos detulerunt N. N. Quam à vobis ad se perlatam esse asserant, cuius hoc est exemplum.

Catholico-
rum Postu-
latio.

Religione in Anglia mutatâ, & pænâ propositâ si quis diebus Dominicis & festis à Templis abstineat interim dum Psalmi & ex vtroque Testamento lectiones lingua vulgari recitantur, Laici multi & Catholici Nobiles & Deum timentes partim iam in carcere agentes, partim mox eò coniiciendi, amicorum & consanguiniorum precibus, admonitionibus, & imminentium periculorum metu inuitantur, vt saltem eatenus se de sententia deduci permittant, vt in Templis protestantium tantisper interesse velint diebus Dominicis & aliis festis dum Psalmi eorum more linguâ vulgari decantari soliti, & lectiones ex Biblijs linguâ item populari de promptâ, necnon Conciones (quæ ad eorum dogmata approbanda frequentius haberi commemorantur) fiunt, iam qui